

**Fridericus Balduinus**

**‘Lucretia’**

Tragoedia  
(1597)



Jan-Wilhelm Beck  
Institut für Klassische Philologie  
Lehrstuhl Lateinische Philologie  
Universität Regensburg  
Universitätsstraße 31  
93040 Regensburg  
März 2006

## Personae dramatis

Castitas	Prologus
Lucretia	
Nutrix	
Chorus mulierum	
Tarquinius	Rex Romanus
Sextus	adulter
Collatinus	maritus Lucretiae
Tricipitinus	parens Lucretiae
Brutus	Patricius Romanus
Nuncius	

## Periocha

L ucretia, ut furore Sexti Tarquini  
V iolata stupro muliebri decus perdidit,  
C ulpam ausa crebris expiare lacrymis,  
R ebus suis diffisa, sese interficit.  
E xterriti hac maritus et pater nece ex-  
T emploque tanti indignitate facinoris  
I ncensi ad arma convolant, Bruto duce,  
A ulamque regis irrunt; regem exigunt.

## Prologus

### Castitas

Quod virgo primum prodeo, scenae caput,  
Et, quam vides, opera mea LVCRETIAM  
Profero, corona nobilis spectantium,  
Mirare, si, quae sim vel unde prodeam,  
Nescis; faveto, si deam me noveris. 5  
Hoc ergo primum, deinde, quid velim, eloquar.  
Ericina Cypris, mira spumae filia  
Saturniae, prognata aquis, vecta biiugi  
Curru palumbum sive olorum remige,  
Cum totius lustrarer orbis incolas 10  
A termino Eoo usque ad Hesperias plagas,  
Volucris pinnati ephebi spiculis  
Transfixit impubem iuventam et in sui  
Promiscuos pellexit ignes, nullius  
Vt cura dictamni mederi quiverit. 15  
Exustulati Venereo pyragmone  
Animi ignis ex furore nullius pili  
Connubii fecere iusti regulam;  
Quam quisque vel genio suo placere vel,  
Si commodo illius potiri noverat, 20  
Huic quodlibet gramen vel herba dedit torum.  
Iam taedium vitae ordinatae obrepserat,  
Placuit ferinas insequi libidines.  
Non potuit humana huic malo succurri ope;  
Animos deorum (proh dolor!) penitus quoque 25  
Invaserat cacoëthes istud Venereum,  
Divinitus medela divorum malo  
Requiritur; mortalium vis nulla erat.  
Hinc me dearum cura (queis pridem tori  
Tam sordida profanatio et promiscua 30  
In innubos choros rapina virginum  
Bilem movere coeperat) coelestium  
Ex sede tantae vindicem libidinis  
Emisit, hostem amoris illiciti, omnium  
Virtutum originem atque fontem: CASTITAS 35  
Vocor, Pudoris sola mater, Cypridos  
Victrix, amorum castiorum pronuba.  
Quae, quando primitus hospes huc veni, domum  
Hanc proprium hospitium esse delegi mihi.

Vnde in theatrum hanc profero LVCRETIAM, 40  
 Exemplar et coronam honestae coniugis.  
 Haec cum labore industriaque sedula  
 Palmam pudoris Sextiae, huius coniugi,  
 Luxurie et ebrietate viventi domi,  
 Praeriperet, indignatus hinc Sextus, simul 45  
 LVCRETIAE forma et pudore flammeus  
 Totus, furore exaestuans Cupidinis,  
 Prece, blanditiis, ferro, minis poscit stuprum  
 Illius; illa nulla mota et impetum  
 Mortis, pudoris amore, non horrescere 50  
 Audet, sed ut tyrannica calumnia  
 Summaque vi Sexto coacta est obsequi,  
 Exosa vitae, convocatis sanguinis  
 Adfinibus, scelere relecto Tarquini,  
 Ferrum ipsamet transadigit in praecordia, 55  
 Malens mori quam non honeste vivere.  
 Aegre ferentes orbitatem filiae  
 Parens, maritus coniugis, Bruto duce,  
 Regem exigentes, vindicant Rempublicam.  
 Summam novantiquae hanc habete Tragoediae, 60  
 Quam secla post duo et octo lustra, condita  
 Ab Vrbe, Regis ultimi sub fascibus  
 Vere peractam, nunc ab histrionibus  
 Videbitis nostris repraesentari.  
 Nam quamlibet trophaea pridem a Cypride 65  
 Tuli hocque cornu et spiculum Cupidinis  
 Fregi meaeque subiugavi dexterarum,  
 Fractis tamen belli maligne induciis,  
 Redintegratis spiculis Veneris, novas  
 Iam copias postliminio succedere 70  
 Adverto, quas nostra aggredi Tragoedia  
 Animus fuit, quo turpitudine libidinis  
 Vetitique amoris in peregrinum torum  
 In Sexti imagine innotescat omnibus.  
 Sed castitatis et pudoris gloria 75  
 LVCRETIAE pariat Acidaliae deae  
 Odium, relicto stimulo honesti nominis  
 Scelerumque detestatione in cordibus.  
 Iam, si quis aut LVCRETIAE aut Mei est amor,  
 Adeste, quaeso, animi favore nominis 80  
 Digno mei et linguae optimo silentio.  
 Nam credite hoc nil mentienti mihi deae,  
 Vos hodie, qui spectandi adestis gratia,  
 Plus audiendo quam loquendo discere.

## Actus primus

Lucretia

Luc.	Eheu dolorem! nam quid anxiam premunt Sub corde fibrae, palpitat mihi cor metu. Tremisco tota: congelascit alveis Sanguis suis, torpet gravi caligine Mens animi; ut icta cerva subito fulmine Exhorret et stupore rapta concidens	85     90
	Ipsam sub alvo faetum inermem negligit Partus abortu lugubri immutans suos. Piget pudetque: diffitear, adultera Quo vertar, aut excipiet ecqua me exulem Tellus? quod hospitale quaeritem solum,	95
	Ecqua aura tam salubris, hoc quae non meo Vitiata viru me scelestam hinc exspuat? O quisquis unquam Castitatis est amans Et impudicae mentis osor, o mei Luctus sodales, o puellae, virgines,	100
	Iuvenes pudici, quosque nondum lubricus Detrusit error in peregrinum torum, Avertite oculos, sensa, mentem avertite; Nolite me puro intueri lumine, Nolite, quae feci, insequi vestigia.	105
	Merum venenum spiro, fel merum, scelus Merum, nec est, quod haud scelesto polluam Anhelitu vel hocce visu destruam, Quae perditarum perditissima mulier. O Vesta, qui me ferre potes adulteram,	110
	O Cynthia, o sincera coeli sidera, Qui nocte tam turpi faces tenerrimae Inserviere adultero, cur non magis Tenebricosis condidistis nubibus? Et tu paterna terra, cur non intima	115
	Deglutiisti adulteram voragine? Credibile, tunc omnem deorum regiam Exhorruisse omnemque sacrarum aedium Evanuisse honorem. et ipsa Castitas Oculo retorto percita ira frenduit,	120
	Et limpido fluenta fluxu Tibridos Retro gravi fugam dedere flumine. Quid ergo restat? numquis est, quem et alloqui	

Ausim inque condolentiam fati mei  
 Vocare? maria, terra, coelum hoc audiant, 125  
 Si nullus homines inter est mihi locus.

Chorus

Cho. Quis te, LVCRETIA, aestus,  
 Quis te dolor perosae  
 Exasperare vitae  
 In temet unde possit? 130  
 An tanta foemininae  
 Fortunae acerbioris  
 Sit magnitudo, mortis  
 Arma ut furor ministret?  
 Ah parce, quaeso, parce, 135  
 LVCRETIA, o iuventae  
 Norma una virginalis,  
 Lux una principalis!  
 Quid est, quod intuentes  
 Radio tuo enecari, 140  
 Quid est, quod alloquentes  
 Flatu perire dicis?  
 An quod tui pudoris  
 Coacta dignitatem  
 Amisti? et hostis arma 145  
 Inermis haud represti?  
 O quid, LVCRETIA, o quid  
 Tam labe pestilenti  
 Vel te tuumve nomen  
 Detrunderet sub umbras? 150  
 Si spiritu procace  
 Labiove si loquace  
 Petulanter impudicos  
 Laccesseres amores,  
 Si mentis ociosae, 155  
 Si oculi libidinosi  
 Pruritu adacta formam  
 Inquirereres virilem,  
 Nisi tui mariti  
 Tibi una cura et una 160  
 In ipsius salute  
 Devotio fuisset,  
 Nil deprecari et ullis  
 Posses rogare verbis,  
 Quin te futura secla 165

Adulteram probarent.  
 Nunc vis adultera illa  
 Et illa purioris  
 Vi laesa mens pudoris  
 Te crimine hoc levabunt. 170  
 Nos ut tuos retorto  
 Oculo intueri vultus  
 Possemus? o pudici  
 Suboles pudica amoris!  
 Imo efficaciori 175  
 Et diligentiori  
 Studio tui pudoris  
 Reddemur hinc sequaces.  
 Quod si quis error hic est,  
 Adulteri error ille; 180  
 Tu liberabere omni  
 Culpa, ille tollet omnem.

## Nutrix

Nut. Nemo suis procul est a fatis,  
 Quemvis celeri insequitur pede Ate.  
 Vt quem volvit rota fortunae, 185  
 Sic, inopina quamvis sorte,  
 Ducere vitae cogitur horas.  
 Omnia sunt tabulis fatorum  
 Inserta hominum eventa aut gesta.  
 Nec quicquam humanis rebus agi 190  
 Creditur incertis casibus, ut  
 Non prospiciat superum cura  
 Provida divum.  
 Vix ipsa ego crediderim, tantam  
 Fati esse licentiam, ut ex aequo 195  
 Grandinis improvisum eiaculet  
 Imbrem ad summa palatia magnae  
 Arcis, quam pauperis ad tugurii  
 Limina, acerbis nisi me exemplis  
 Lucretia, primo nata sinu 200  
 Fortunae, ancipiti iam misera  
 Luctu, edocuisset: quae lacrymis  
 Moderari nescia iamque viri  
 Pugnas querulae dolet Halcyonis  
 Voce, coacti iam et adulterii 205  
 Repetit lessus Pandionis  
 Fletibus, omnem aversa dolorum

Medicinam animo.

Licet et pietas multa atque fides  
 Sit nostra animum solando aegrum, 210  
 Frustra omnia tento: adspernatur  
 Dolor omnis opem medicinae, ipsa  
 De mole mali sumit vires.  
 Magnum inde scelus sceleri magno  
 Restare timor reputat noster. 215  
 O utinam evanidus ille timor!  
 Ah quam nullo mage discuperem  
 Tempore falli!

Lucretia, Nutrix

Luc. Egredior, ingredior: dolori non datur  
 Venia; renitor, vix renitentem quies 220  
 Defendit: inquieta mens variis modis  
 Impellit adflictam. referre vix licet  
 Causam doloris, iuncta causae infamia est.  
 Conferre nedum fas erit fletus meos  
 Aliquo dolore, quamlibet referam tuas, 225  
 Sabina, sortes, sponsa ducta Talassio.  
 Per vim licet, surrepta ab ulnis patriis,  
 Aliena thalami iura inis; nullo tamen  
 Cum dedecore, sed magno honore, Talassia  
 Coniux, tuas sopire nosti lacrymas. 230  
 Me vero adulterii coacti iniuriam  
 Deflare non sinit pudor, sed in meos  
 Servata luctus, nil nisi umbram nominis  
 Restare video nostri; adulter abstulit  
 Reliquum. o doloris fida nostri portio, 235  
 Nutrix, querelas mente memori has excipe.

Nut. Alumna, siccin' invalescere lacrymas?  
 Luc. Dum crimen invalescit et sceleris furor.  
 Nut. Quae lacrymis finem tuis dabit dies?  
 Luc. Vitae datura finem.  
 Nut. abige praesagia haec. 240  
 Luc. Fortuna quae praesagit, abigere an licet?  
 Nut. Vix, quod times, habitura sum fidem omini.  
 Luc. Non vota casus, fata sed regunt meos.  
 Nut. Obsiste mentis anxiae furoribus:  
 Tua fata votis victa cessabunt meis. 245  
 Luc. Prius diei iuncta nox, agnus lupo,  
 Iovis volucris cygnus, elephantis sores  
 Concordibus morentur una passibus,



	Quam acerba fata adulterae optato frui Videam exitu. mulier, pudore vendito, Certum est miseriarum omnium domicilium.	250
Nut.	Non vendidisti: praeda praedoni data, Vim passa. vim, dum non potest, non excuti, Tantum' scelus, quo nulla venia digna sit?	
Luc.	Indigna venia patior. exulat meo Solamen a luctu, optimum solatium Mors est: mori nemo negabit, mille sunt Aditus eo. decus optimum est adulterae, Cruore proprio expiare noxiam.	255
	Vir inter arma, Marte dubio, me domi Relinquit (heu mihi!) hostium furoribus. Quos ipse ferro armisque repressit foris, (Sed vix repressit, forte reprimere potuit) Inermis hos ego domi sperans, timens	260
	Non reprimo: vicit furor, vicit scelus, Vicit tyrannus, o pudor! quo munere Redimam minis expressa ab hoste basia? Quam saepe torva noctis insomnem facit Facies quietem, quando fessos lacrymis Oculos sopore claudit infestus dolor,	265
	Quam saepe ferrum, immane ferrum, huic pectori Condere videtur hostis et facem ipsius Praeferre furiis Eumenis, tremor et pavor Tunc inquietos excutit somnos mihi, Amburit angor omnia ossa medullitus.	270
	Saepe rigidum laniata vultum, exterrita Nudaque, comas discerpta, thalamis eiulans Oberro, cari frustra quaerito viri Vmbram (o modo sit umbra, ne prorsus nihil), Luctumque luctu expellere ut tento, magis Appono tristi pabulum querimoniae.	275
	Quid in malorum tot procellis consilii Capiam? quid excusabit hoc tantum nefas? Nihil. nec et quidquam velim nec coniugem Me velle, vix suadet pudor. mori iuvat. Mors finiet, finire quod nequit dies.	280
Nut.	Vir finiet, viri est opus praesentia. Mors, quam putas finire posse, augebit et Cumulum tuis coagmentabit ex malis. Nosti furores hostium atque Tarquini Tyrannidem immunisque sanguinis sitim.	285
	Hei, quanta ab hinc materia surget iubili Sexto? hei, ut ad patranda alia stimulum furor Abinde sumet! ut suis successibus	290

	Congratulabitur! unde series facinorum,	295
	Odi dolique caediumque ortum trahet.	
	Parique grassandi licentia scelus	
	Alibi furores evomet, vires tua	
	Ex morte sumens, ut pari omnis occidat	
	Fato pudor virtusque vitio det locum.	300
	Vt si suborto tota in Vrbe incendio	
	Iam flamma summam arcem petat, iam iners humo	
	Inserpat aridae, iam ad ipsa culmina	
	Scandat penatum, dum sopitur ab aliis	
	Ignis vorax liquore, lacte, sanguine,	305
	Si tu interim, latens domo, domesticam	
	Taciturna compilando ibi supellectilem	
	Iacias foras divesque flammae pabulum	
	Ita subministres, nonne furiosa et malo	
	In publico scelesta poenam incurreres?	310
	Iam dum in dies magni tyranni Tarquini	
	Serpet per Urbem nescius modi furor,	
	Quo amoliendo sana vix consilia opem	
	Tulerint, scelere alto novaque infama	
	Succurrere isti audes malo? ah quis hic furor?	315
	Sic flamma flammas, scelera sic pascit scelus.	
	Nunquam magis vitium suis gliscit malis,	
	Quam quando et adflictus sceleribus pabulum	
	Aliqua animi suppedidat impatientia.	
	Cave, Lucretia, ah cave, sic caeteras	320
	Sextus mulieres interimere quam stupro	
	Vitiare post hac mavolet, quando manum	
	Cruoris avidam ipsi cruore armas tuo.	
Luc.	Et me interimat, hac ne mea cadam manu.	
Nut.	Non sufficit periisse famam? an vita obest?	325
Luc.	Obesse iam meo edocebo funere.	
Nut.	Natura vires quae dabit tantas tibi?	
Luc.	Dolor, ira, luctus, taedium et vitae dabunt.	
Nut.	Aequanimitas aegris medetur, non furor.	
Luc.	Si morbus est sanabili ex origine.	330
Nut.	Quo gravior, hoc maiori opus patientia.	
Luc.	Facilior est sanis medela vulneris,	
	Quam aegris dolorum acerbiorum passio.	
Nut.	Non sola tu adversantis impetum deae	
	Rhamnusiae experiris. ille singulos	335
	Attingit, et manes patimur omnes graves.	
	Ipsimet auro si orta ingentia est sua,	
	Nec tam polito Phoebus ipse lumine	
	Hoc purpurat solum, levi quin transitu	
	Nubeculae reciprocetur identidem.	340

- Quin ergo, quod commune multis, ne tuo  
 Id expiandum, alumna, damno censeas.  
 Age, vince te ipsam: vela fletus contrahe,  
 Tristes bona solare conscientia,  
 Quaecunque adurunt pectus, aegrimonias. 345  
 Erit, erit huius ultor et vindex mali:  
 Committe divis, solum id horum est officii.  
 Luc. Citius suo desidat axe Cynthius  
 Et summa in auge curtioire linea  
 Producat umbram, quam meo desit dolor 350  
 Animo: ultimo cessabit is cum spiritu,  
 Ni forte manes sentiant quoque has vices.  
 Pater vocandus et maritus; o modo  
 Vocare possem iure nostro! verum age,  
 Vincendus hic paulum furor: sint vindices, 355  
 Quos dii volunt; fortasse me mei volunt.  
 Nut. Quid agas, alumna, vide: grave est, in proprio  
 Scelere furorem iudicis fungi vice.

## Chorus

- Cho. Regitur, LVCRETIA, fatis  
 Hominum genus omne, suaeque 360  
 Stabile et durabile nemo  
 Poterit spondere saluti.  
 Veluti variabile Lunae  
 Senium mutatur in horas,  
 Facies modo plena minoris 365  
 Spatii circumrotat orbem,  
 Modo cornibus integit umbras,  
 Modo tota obscura senescit;  
 Variis ita casibus illa  
 Fortuna incerta diei 370  
 Hominum fata omnia volvit,  
 Semperque hodierna malorum  
 Metuenda pericula restant.  
 Tua nec sors saevior illa,  
 Quam vel prior horruit aetas, 375  
 Vel postera secla dolebunt.  
 Qua tum sicilice Sabinis  
 Matronis pectora censes  
 Compuncta fuisse, puellis  
 Innuptis virginibusque, 380  
 Cum Romula saeva iuventus,  
 Ludi sub imagine amicos

Animos referente, theatri  
 Media ad subsellia ductas  
 Rapuere manuque furore 385  
 Armata ad moenia Romae  
 Traxere, sibi illicitoque  
 Iunxere Cupidinis aestu?  
 Tamen hanc patiente ferendam  
 Animo sortem esse putabant. 390  
 Quae tum vindicta pudico  
 Suscepta animo? anne furori  
 Frenum laxare puellae  
 Medioque sub agmine et armis  
 Septae voluere rapina 395  
 Hac defraudare Quirites  
 Seque, ut data copia, telis  
 Transfigere militum et isto  
 Vlcisci funere praedam?  
 Non sic; prudentior horum 400  
 Animis insederat aura.  
 Nemesis maiore sequuta est  
 Cum foenore: Marte togaque  
 Divum est experta favorem  
 Generosi gnata Sabini. 405  
 Forsan tua te quoque mansit  
 Vindicta, aliunde profecta,  
 LVCRETIA, nostrarque fati  
 Inclusa tuis simul uno  
 Tandem sub iubilo ovabunt. 410  
 Noli praevertere divos:  
 Tibi quae vindicta parata est,  
 Forsan quoque posthuma nostra  
 Aetas celebrabit in Vrbe.  
 Sed hem, quis hic rosea coruscans purpura? 415  
 Quemnam videmus? o sorores, edepol,  
 Sextum videre videor, aut infirmior  
 Caligat acies luminum. sed certe adest.  
 Miror, salax quid hircus inter mulieres.

## Actus secundus

Sextus

Sex. Mene impotentem? mene sublesta fide 420  
Orbis caput cum patre, Romam, legibus  
Subiicere, mene praeripere palmam malis,  
Luxu atque scelere, et impiare moribus  
Cives meis, vitiare totam regiam?  
Si cederem aula, ad infimae centuriam 425  
Plebis redactus; si meos Lucretiis  
Imponerem fasces et illa patriae  
Haereditatis sceptrum dederem advenis,  
Ipse exularem, regna cernerem eminus,  
Cum patre pila militarem in infima. 430  
Sic sat pudice, sic honeste viverem,  
Vulgi modo parere scirem nutibus.  
At pol Iovem, vindicta bella, bellum iter,  
Quod Ardeenses mi dedere induciae.  
Egria probitas scilicet Lucretiae, 435  
Egria, quam depraedicabant, castitas.  
Vt callide, si crederes primo impetu,  
Laboriosis adsidens ancillulis  
Et ipsa lanis obsita et villis, suis,  
Vt concha, laribus fixa, dum vir adfuit, 440  
Tria regna iurares, nihil Lucretia  
Probius fuisse, nil laboriosius;  
Vt abiit ille, dii boni, quam non diu  
Vetus vigore perstitit pudor suo,  
Fallax mulierum et nullius pili fides, 445  
Vix et imitandis delitescens fraudibus.  
Sunt mille technae, mille mulierum doli,  
Queis credulos improvidorum animos sui in  
Laudes trahunt; nisi centies probaveris,  
Vix foeminae tutam dabis verbis fidem. 450  
Probata dico: cui prius vix conferas  
Integritatem virginum Vestalium,  
Coram marito, coram amicis, publice  
Si aspexeris; Lucretia ut nuper mihi  
Revisa sola est, proh deum, ut periit pudor! 455  
Lucis diurnae fugerat iubar, operis  
Suis sororem subrogarat Cynthius.  
Succrerat umbra, et arctiore lumine

Reduxerat iam Luna noctis meridiem;  
 Siluere cuncta: nil metus, tuta omnia; 460  
 Membris solutae dormire ancillulae.  
 Thalami deumbrans Hesperugo valvulas  
 Ducebat ad thalami fores Lucretiae.  
 Accedo; luctum tango, tango et foeminam.  
 Quid? posco stuprum blanditiis amasiis 465  
 (Omnia prius tentare, quam armis aggredi  
 Sapientis esse ratus). quid illa? paululum  
 Negare votum, castitatem mentiens.  
 Vt ense paulum territa est, omne excidit  
 Vinculum pudoris, ut prius quae nec prece 470  
 Nec amore victa est, si recusem maxime,  
 Vltro sui deposcat ipsa iam stuprum.  
 Isten' pudor? modestia haec Lucretiae?  
 O facilis, o cuique aemulanda castitas!  
 Cui deme lanam, deme calathum et stamina, 475  
 Nudabis in totum; eminebit fraudibus  
 Facies inuncta. caetera occupat scelus.

### Chorus

Cho. O potens magni dominator orbis,  
 Iupiter, summae genitor, Quirine,  
 Urbis; o tutrix sacra Castitatis 480  
 Vesta, num celsa superiorum ab arce  
 Numinum humanos oculo irretorto  
 Cernitis astus?  
 Illane effrenis petulans tyranni  
 Sat sit, ut vestros animos libido 485  
 Ad mali iustam trahat ultionem?  
 ROMA, telluris caput et deorum  
 Filia excultique animi magistra,  
 Ecquid hunc ultra patiēre civem  
 Te profanatis oculis tueri? 490  
 Qui serenatae latro castitatis  
 Irruit ferro vetitum in cubile  
 Vique funesta tenerum pudorem  
 Integrae uxoris populatur hospes  
 Iamque mendaci sibi gratulatur 495  
 Laude et invisum scelus impiato  
 Ferme inauditis alibi pudori  
 Imputat ausis.  
 O dii, quorum hospitii tributa  
 Cura tutelae est et amor pudoris, 500

Fulminum ultrices acies in unum  
 Ferte et hanc Vrbi removete pestem.  
 Sexte, o Harpiis genite, o Megerae  
 Edite in lucem facibus, pudoris  
 Pestis, integrae scabies iuventae, 505  
 Latro virtutis, scelerum cloaca  
 Et lues sanctae putapura Romae:  
 Nulla te optatae beet aura sortis.  
 Exulem, exsortem, sine spe, sine omni  
 Prospero adflatu superum paterna 510  
 Evomat tellus, Acheronticisque  
 Fontis inferni lacubus receptum  
 Sorbeat pernix Erebi Mephitis.  
 Annuant nostris precibus deorum  
 Numina et votis faciles clientum 515  
 Applicent aures, nisi castitatis  
 Nulla iam restet reverentia atque  
 Ille Romanis furor a sacellis  
 Omne virtutis specimen sequestret,  
 Et dii ipsimet vitiis senescant. 520  
 Sed licet divum manus illa desit,  
 (Culpa, si possit, superum est tanta),  
 Nec tibi nostra prece promeremur,  
 Vt luas dignos scelere hoc furores,  
 Attamen tecum comitem aeviternae 525  
 Senties poenae temerariique  
 Vindicem facti proprioque in aestu  
 Viscerum et mentis malae conscientis  
 Verme peribis.

Tarquinius

Tar. Multum interest, in quos reservetur dies 530  
 Cuiusque virtus, unde clara facinora  
 Originis ducant suae primordia,  
 Ne, quod tuis maioribus palmarium  
 In medio erat positum, tibi quoque censeas.  
 Ego, ut locus tempusque regni fascibus 535  
 Me prohibuere maxime, quem patrium  
 Diadema, iure haereditario meum,  
 Regere iubebat, interim a domesticis  
 Ad externos, a liberis ad servulos  
 Qua fraude, nescio, devolutis fascibus, 540  
 Ego vi atque fraude regio exutus throno,  
 Fraude atque vi me subrogavi maxime.

Hoc ergo cum primis datum est mihi consilii,  
 Vt, lenitate quam haud valerem vincere  
 Plebem, metu merito suo facerem meam. 545  
 Adaeque enim quae Lucumoni firmitas,  
 Quae Romulo, Numae vel Anco oraculo  
 Data est, mihi promissa. quid, quod Terminus  
 Exauguratione nupera, diis  
 Exaugurationi huic faventibus, 550  
 Permisit, haud quaquam sibi addicant aves,  
 Immota regno pollicens fundamina?  
 Quae certitudo enotuit divinitus:  
 Cum dedicarem nuper in Tarpeio  
 Aedem Iovi Feretrio, basi infima 555  
 Hominis caput facie emicabat integra.  
 Exhorruere omnes in hoc miraculo;  
 Consultus augur imperi potentiam et  
 Augusta rerum dixit his portendior.  
 I nunc et invisis diis hos imperii 560  
 Fasces tueri Tarquinos obmurmura.  
 Mihi non patres temerarii, non inscia  
 Plebecula aut levia senum suffragia,  
 Sed ipse summa coeli ab arce Iupiter  
 Est auctor: imperium offerunt miracula. 565  
 Hac ergo vi, hac auctoritate patriis  
 Vestigiis insisto. quod Latio ipse est,  
 Quod est Sabino, Volsco ego Rutuloque sum;  
 Quod ipse erat Collatiae, hoc ero Ardeae.  
 Nec, si vel ipse Accius novacula 570  
 Cotem fecet, reflector a sententia.  
 Vrgebo pugnam, obsistam et hosti, machinas  
 Omnes movebo: et obsidiis et insidiis,  
 Vt potero, vim periclitabor bellicam.  
 Nec prius ad Urbem animus redire inglorie, 575  
 Quam praeda opima dives Ardensium  
 Laeto triumpho victor adsim iubilo.

Sextus, Tarquinius, Chorus

Sex. Vici, pater, vici; nec impetit pudor  
 Referre: vici.  
 Tar. num pudet victoriae?  
 Sex. Si me mei pudet.  
 Tar. quid ergo? edissere. 580  
 Sex. Ruina regni sarta nostri hac est die.  
 Tar. Quae sit ruina?



Sex.	quam facit calumnia.	
Tar.	Qui sarta?	
Sex.	nostro (uti solemus) facinore.	
Tar.	Quo facinore?	
Sex.	ego facinus grave et memorabile	
	Existimo, plebs imperandi nescia	585
	Scelus vocat.	
Tar.	quid hoc? scelere tolles scelus.	
Sex.	Quo nulla virtus pervenit, penetrat scelus.	
Tar.	Quid vero sceleris? ecqua origo gaudii?	
Sex.	Spolium pudoris.	
Tar.	unde?	
Sex.	de Lucretia.	
Tar.	Quid? tene fieri adulterum?	
Sex.	gnatum tuum?	590
Tar.	Modestius cum patre.	
Sex.	pietatem doces?	
	Nosti pater Lucretiorum in nos dolos.	
Tar.	Novi quoque aliorum ruinas. quid postea?	
Sex.	Si durius quid in scelestos audeam,	
	Scelus putes? laudare laudandos decet,	595
	Scelera aeviterno supprimes silentio?	
Tar.	Non alia laedendi data est occasio?	
Sex.	Melior nequibat. una dos Lucretiae	
	Erat pudor; quo decomato, perdidisti,	
	Quodcunque nostro obstabat imperio mali.	600
Tar.	Qui sic? magis recruduisse crederem	
	Calumnias.	
Sex.	ludibrio Lucretia	
	Vulgi exposita, sua moritur infamia;	
	Nobis licet ridere fatum hoc: imperi	
	Auctoritas immunitatem dat mali.	605
Tar.	Hem vindicandae gloriae compendium!	
Cho.	Male pereatis, o catharmata imperi.	
Sex.	Vt pestilenti carcinoma in corpore,	
	Dum vel per artus serpit aut per viscera,	
	Si non suavis est capax malagmatis,	610
	Amburitur, salsugine aut eroditur,	
	Donec malum tandem alteri cedat malo;	
	Sic qui velut gangraena nostro pestilens	
	Regno protervis livor ante passibus	
	Pedementim oberravit, ut huic virtus malo	615
	Videatur impar, iam scelus sceleri odium	
	Indixit et venena viru depulit.	
Cho.	O tempora! o mores! scelere obeat pudor?	



Tar. Fac, ut lubet. virtute frustra obsistitur,  
 Si scelera virtutem inchoatam reprimunt:  
 Vis, fraus, tyrannis (si modo tyrannis est,  
 Ditare regnum, obsistere hostium minis),  
 Quacunque sors viam datura, me ferant.

## Chorus

Cho. O infesta tyrannidis  
 In nos toxica regiae,  
 Queis armata furoribus  
 Virtutem exagitat manus?  
 Nescitis, scelerum fabri,  
 Regem quid deceat? modum  
 Ecquem vis petat imperi?  
 Nescitis: nec enim impiis  
 Firmatur solium ausibus,  
 Non sceptri illiciti scelus  
 Regalem stabilit thronum.  
 Rex est, qui moderatius  
 Defendit titulos suos,  
 Non tam summa ratus, sibi  
 Quae sint commoda, publicae  
 Quam quae poscat honor rei.  
 Rex est, quem veluti patrem  
 Vulgus sponte colit sua,  
 Non hostem metuit minis.  
 Rex est, qui scelera improbat  
 Et sontes gladio ferit,  
 Non qui se scelerum dolis  
 Tutatur, populi et sua  
 Sarcit damna periculis.  
 O vos egregios patrum  
 Adscitos solio, quibus  
 Ius iniuria, dedecus  
 Virtus, iustitia est scelus.  
 Vt qui caucaseas specus  
 Scrupis incolit hispidas,  
 Dum maiora poli cupit  
 Astra evolucre cominus,  
 Iam per senta relabitur  
 Praecepta tesqua vel horridis  
 Offertur spoliolum feris.  
 Sic, quem vestra sibi capit  
 Tutandum imperii fides,

Vel cum rege malo male  
Vivat vel properae neci  
Fiat praeda, necessum habet.  
O si qua est Nemesis, scelus 710  
Tantum ulciscere, vinculis  
Nos dissolve tyrannicis.  
An fas laurigeris comis  
Romam mancipio erutam  
Tandem cernere liberam? 715  
Sed pone questus, anime, pone turbidum  
Metum. viden' Lucretios? euax! bene est:  
Salvete Romae mancipatae vindices.

## Actus tertius

Collatinus, Brutus, Tricipitinus,  
Lucretia, Nutrix

- Col. Et insolens et non opina nuncius  
Praesentia nostrum moratus est iter; 720  
Brute, ecqua sortis causa tam subitaneae?
- Bru. Quod si ominari fas foret, non ambigo,  
Quin foeminini nuncii famulitium  
Ad mulierum nos abstrahat fata: interest  
Rediisse Romam. at cogimur Collatiis 725  
Fortasse casu singulari vivere.
- Col. Miror equidem, sed enim nec illud sufficit,  
Quin metuo, ne non sat domi ex sententia  
Sors nostra iam succedat auspiciis bonis.  
Vt tibi videtur, Tricipitine, quo omine 730  
Hanc nuncii famam repentini excipis?
- Tri. Quod et tibi ex voto meaeque filiae  
Bene prospereque cedat, ut vellem quidem,  
Haud commodo nos huc vocatos arbitror.  
Praesagit hercle aliquid mali mens. nam quid est, 735  
Quod nuncius facto atque maturato opus  
Aiebat esse? quid, quod incidisse rem  
Gravem? mehercle magnum inest rei malum,  
Vel certe inexpectata subsunt gaudia.
- Col. O quidquid est, meae modo Lucretiae 740  
Inimica non succenseat Rhamnusia.  
Quam vereor! o muliebris ille nuncius  
Raro secundis administrat sortibus.  
Sed hoc frequenter foeminae ordinarium est  
Frugis bonae vitaeque honestae, cui salus 745  
Viri saluti includitur, dum coniugis  
Devotius desiderat praesentiam  
Illudque singularibus praenuntiis,  
Vt caelitus vel sidus ortum sit boni  
Vel nullius gaudii capax adversitas. 750
- Bru. Vtraque viri communionem sarcina  
Exposcit: illa, ut in boni affluentia  
Adhibere mente aequa sciat modestiam;  
Haec, ne mali in terrore dediscat pati,  
Virum crucis collegam habens solatio. 755



- Et nullius flammae venereae consciam.  
Corpus fuit, quod, ferro et armis cedere  
Dum cogitur, menti hanc meae cladem intulit.
- Col. Quid ergo? credam, quod pudor credere vetat? 800  
Quis, edoce, ille praedo nostrae familiae?
- Luc. Sextus fuit, qui nequam amore adulteri,  
Dum pro hospite hostis hosce devastat lares  
Fervore raptus impudico, me tuis  
Divulsam ab ulnis nocte clancularia 805  
Mortis metu detraxit in libidinis  
Nassam suae, renuente mente, corpore  
Iniuriam tanti ferente facinoris.
- Bru. Deum fidem, nefas quod audio? aedepol,  
Aut nos perimus, aut perit Respublica. 810
- Luc. Vos ergo, vos, o si quid est, cuius favor  
Lucretiae fide et salute nititur,  
O si qua vitae est anteactae puritas,  
Per hanc rogo atque obtestor, o quidquid mei  
Dolere fati poterit inclementiam, 815  
Nolite tantam impune Sexti audaciam  
Infamiam meam ampliare postero  
In seculo. quod si pudor vobis meus  
Nondum imminutus antehac probatus est,  
Hunc imminutum iam stupro oculo vindice 820  
Defendite et, si pote, salutem reddite  
Lucretiae nec me sub umbris pessima  
Manes meos fama pati concedite.  
Stat hac perire dextera, nec me malis  
Solvat dies, quam quae ad Stygem dimiserit. 825
- Col. Ah quo ruis furore, coniux? casus hic  
Culpa caret, crimen cadit in adulterum;  
Tu nullius rea culpa.
- Luc. at ut fiam rea,  
Scelus facit.
- Col. quis dicat errorem scelus?
- Luc. Qui errare nescit. idem et errantem mori 830  
Iubet; pudor suadet.
- Col. sed o summa, infima  
Prius movebo; fataque in tuis mea  
Inclusa iunctis ingemiscant manibus.  
Noli facere, noli impium divortium.
- Luc. Quam culpa divellit, aliud iungat nefas? 835  
O nulla Collatini adultera lateri  
Iungenda! nil nisi mors piabit hoc scelus.  
Vos, si me amatis, interim date dexteras  
Fidemque vestram: vos, veluti ego nunc meum

- Tristi pudorem ulciscar hoc telo necis, 840  
 Sic castitatis dissipaturos meae  
 Furem et meae famae futuros vindices.
- Tri. Non amplius cohibeo me: cor frangitur.  
 Ferrum video. quid hoc? quid? intentat necem.  
 Quid machinaris, gnata? siccin' patrum 845  
 Vultum excipis? quin ense viduas dexteram?  
 Quo verteris? patrem vides; quorsum tremis?
- Luc. Eheu pater, per hanc stuprati corporis  
 Animam, per hoc niveum tuum obsecro caput,  
 Dedisce te patrem fuisse; filiae 850  
 Permite mortem.
- Tri. o obstinatam! quo mihi  
 Rapis animum? aut hoc insimul fodias latus,  
 Aut desine exanimare me hoc verbo amplius.  
 Nam quid? coacta paruisti, nec satis:  
 Quin non coacta ipsa tibi iam instrumentum eris 855  
 Leti? o furor! o insania! o crudelitas!
- Luc. Sed heu mihi! pudor vetat me vivere.
- Tri. Sed et scelus mori vetat.
- Luc. ludibrio,  
 Si vixero, mihi vita erit.
- Tri. mihi gaudio.
- Luc. Quid gaudii sit, natam habere adulteram? 860
- Tri. Hoc, quod viro mulier, preces minis, amor  
 Furore victus, inermis et praedonibus  
 Coacta sit praeter voluntatem obsequi.
- Luc. Sed impudicam quis feret sine taedio?
- Tri. Mens impudicam facere, non casus solet. 865
- Luc. Ah da mihi hoc novissimum, pater, meae  
 Ne desies saluti et uni commodo,  
 Quod non nisi letum daturum est, obsecro,  
 Da dexteram saltem, dature novissime:  
 Promitte tanti vindicem te flagitii. 870
- Tri. Promitto, gnata. vive saltem nec tuo  
 Temet cruore pollue.
- Col. ah quid mortuam  
 Isthac iuvabit ultio?
- Tri. te sospite  
 Quotaquaeque pars ero et ipse vindicantium.
- Luc. Quae sit satis vindicta vivae, ne dolor 875  
 In intimis exaestuet mage ossibus?  
 Quin tollar et forsitan sepultis manibus  
 (Si fata manes sentiunt superstitem)  
 Gaudebo, tantam haud esse inultam iniuriam.





- Factum vides, statim maleactum iudices,  
Nisi velis fieri tibi ipsi iniuria.  
Quae, quo nihil peccatum erat, poena tamen  
Vacare non vis, hac quod haud dignum fuit. 925
- Luc. Fatis feror, mihi fata paenas inferunt.  
Col. Qui mala patrat, non qui patitur, illas luet.  
Luc. Ah quis luet, nisi ego luam?
- Col. Sextum vide,  
Is puniendus, iste solus criminis  
Auctor caputque; nullius rea tu mali. 930  
Si moreris, ex insonte sontem te facis.
- Luc. Mors liberarit, vita sontem fecerit.  
Col. Ah mea tu, o si quid ardor ille patrius,  
Si quid mariti coniugalis flammula,  
Si quid tuorum possit obtestatio, 935  
Omitte, quaeso, arma huic furori, dextera  
Auctore sceleris, administrare et tori  
Nostri tuo dissolvere scelere vinculum,  
Nolique tecum patris uno verbere  
Animam cruenta morte ad umbras mittere, 940  
O mea salus, o vita, mea LVCRETIA!
- Luc. O fata acerba! acerbitate nullius  
Cedentia miseriis! licet nullae queant  
Finire sortes, quam ferocis spicula  
Cruenta mortis, hoc tamen accescit malum, 945  
Quod non, quod et libet decetque, etiam licet.  
Namque arietes geminae et valentes me probe  
Quassando variis iam retundunt ictibus:  
Illinc parens, hinc post parentem maximus,  
Maritus, auro cariora pignora 950  
Vtrinque, queiis non obsequi nefas foret,  
Nisi ad aliud me cogeret necessitas.  
Vos ergo amici, si vacare crimine  
Me iudicatis et reum esse adulterum,  
Qui vindicetis, aestimate, iniuriam. 955  
Ego licet scelere soluta, non tamen  
Sceleris vacabo praemiis: mori iuvat,  
Trepidante quamvis corde, non mortis metu,  
Sed sceleris; absit crimen a fatis meis.
- Tri. O gnata, parce! aut vivis aut perimis patrem. 960  
Luc. Quid vita prosit? paena gravior est nece  
Vivere sceleste vivereque in infamia  
Paenae metu, terrore conscientiae  
Et, quod familiam ducit, exemplo malo.  
Non, non erit nomen dehinc Lucretiae 965  
Vitae impudicae fraudulentum pallium,

- Me criminis tutore. testor sanguinem,  
 Quo cum supremus emigrabit spiritus.
- Col. Eheu mihi! tam leve sit imperium patris!  
 Tam vilis ardor sit mariti!
- Luc. o nil facis. 970  
 Vale, pater carissime et marite mi,  
 Testis mei pudoris innubi, vale.  
 Valet, amici vosque castae virgines,  
 Memores meae innocentiae, memores tori  
 Non sponte polluti, sed a tyrannica 975  
 Libidine infecti; o adeste vindices  
 Superi dii inferique.
- Tri. parce, o filia,  
 Patri.
- Col. marito parce.
- Luc. vos Erebi domus,  
 Hanc animulam excipite novellam victimam  
 Pudoris. unum hoc restat in vita malum, 980  
 Qui terminus malorum, obire fortiter.
- Tri. Ingreditur. heu mihi! o dolorem! vae mihi!  
 Col. O uxor, o materia funeris mei!

## Nutrix, Chorus

- Nut. Quid nunc animi? pia foemineae  
 Portio turbae, nonne fibrarum 985  
 Praecordia pulsant maesta medullae?
- Cho. Pavet exhorretque animus, sensus  
 Expers; riguerunt membra metu:  
 Tristem aspiciunt mortem ante oculos.
- Nut. Adeon' luctum invaluisse animis, 990  
 Vt et in mortem queat imperium  
 Sibi sumere nec formidare  
 Proprii sanguinis haustum. o luctus,  
 Animo praevise meo, temere et tristi  
 Remorate querela.
- Cho. o vim fati! 995  
 Veluti e summi vertice Pindi,  
 Cum Caurorum vehemens murmur  
 De praerupta lapidem rupe  
 Avulsum impete per iuga magno  
 Raptat, donec gravidae molis 1000  
 Impos tandem ad littora volvit  
 Amphitritae et in aequora mergit:  
 Ita saepe levi de materia

	Luctus propriam celer in cladem Arrosas ex pectore fibras	1005
	Varias solet in partes ferre, Donec cor adesum ictu ancipiti Lancinet et fauci inserat Orci.	
Nut.	O quae reliquis sors temporibus Vestra accelerabit fata die	1010
	Dubia? memori illa mementote Animo: quae sunt obvia cuiquam, Cuius fieri possunt; vobis Opus hac cura, quas castus adhuc Defendit honos, vitae in flore.	1015
	Me tarda senectus iam cymbae Stygii naucleri impositura Hoc liberat a trepido officio. Abeo. sanguis gelidus vetuli Corporis aura vivace caret.	1020
Cho.	Vt fata suis mandant tabulis, Ita iusto etiam promptae obsequio Patimur nostram miserae cladem. Praesens animo est medicina aegro Bene ferre, quod haud mutare potes.	1025

## Actus quartus

Nuncius, Chorus

- Nun. Infanda famulitii opera et vix mitior  
Tua, o ruinae Hippolyti acerbe nuncie,  
Quem saeva perpraeceps equorum immanitas  
In mille raptum frustra misere perdidit.
- Cho. Quae vox ad aures pertulit nostras sonum? 1030
- Nun. O citius ultra Antipodas et Ditis domum  
Cuperem locari, ne modo infandum scelus  
Referre cogerer.
- Cho. euge, quid portas novi?  
Edissere et, quocunque, pande, sit scelus.
- Nun. Si ferret animus, et nisi expavescerent 1035  
Membra omnia: obversat figura flagitii  
Vultu, negat referre, quod iussa imperant.
- Cho. Suspendis animos anxios. quid ambigis  
Docere, quid sit? non ad auctorem redi;  
Quis ordo sceleris, illud effare ocyus. 1040
- Nun. Vt luctus atque nescius vinci dolor  
Lucretiam cum patre pepulit ad lares  
Viri, per omne ululatus ortus atrium  
Miserum intonuit; hinc Maenas ipsa Erynnisin  
Visa est furore armare dextram: foemina 1045  
Discurrit et iam aperta pulsat pectora,  
Semihulca iam discerpit ora; sordidos  
Laniata crines, summa depilat comae  
Vestigia et iam tela, iam laqueos petit  
Et, si daretur, toxico mori cupit. 1050
- Cho. Quid ad haec pater? quid vir? quid alii?
- Nun. quid? dolor  
Trudit dolorem, lacryma urget lacrymam.  
Transferre culpam, polliceri facinoris  
Vindictam, abesse crimen, ubi mens abfuit,  
Fatum parentis esse fatum filiae, 1055  
Plus fore, patrem perimere quam vitium pati.  
Instant, monent, hortantur; invitam tenent.  
'Mihi', inquit, 'illud exedendum, quod scelus  
Intrivit, in me vis fera armavit manus.'  
Et ingemiscens, 'heu mihi', inquit, 'ultima 1060  
Dies videnda, quo fereris, me surripe.'  
Et haec loquutae nescio quem clanculum

Palla latentem suppetit cultrum furor,  
 Quo perforata pectus exanimis cadit,  
 Faedata sanie fetulenti sanguinis. 1065  
 Cho. Ferro quis admovit manum?  
 Nun. Lucretia  
 Fortis ruinam in propriam.  
 Cho. o dirum scel'!  
 Nun. Tunc vero et horror atque planctus totius  
 Replevit Urbis compita; omnis visa erat  
 Plebs in cadauer concidisse emortua. 1070  
 Exinde vix mihi viam adaperuit dolor,  
 Vt huius essem facinoris praenuncius.

## Chorus

Cho. Ah quae nos miseris lux querimoniis,  
 Vita et perpetuis fletibus eximet?  
 Quorum haec (o radiis orta malis!) dies 1075  
 Facta est omnimodis criminibus parens.  
 Matronale decus, foeminei chori  
 Flos, indeciduo floride germine,  
 Quo te casti animi palma, LVCRETIA,  
 Fati vis obitu surripit horrido? 1080  
 An tanto placuit verbere funeris  
 Prostravisse tuos et celeri pede  
 Ad manes propria tendere dextera?  
 Ah quae tam subitis causa fuit malis?  
 Fallor? sidereis quae solet arcibus 1085  
 Insertare alios innuba Castitas,  
 Quae vitae exiguae tempora prorogat  
 Integrosque animi sola vetat mori,  
 Haec ictui Lachesis, lege sororia,  
 Te subdit, properam quo tibi pausulam 1090  
 Vitae per creperas accelerat vices.  
 O ingrata animi praemia simplicis!  
 Sed quamlibet aspera fati  
 Vis et fortuna dierum  
 Te inviderit amplius orbi 1095  
 Lumenque animique pudici  
 Specimen, tamen ignibus ante  
 Miscebitur unda suasque  
 Vitis, licet insita lauro,  
 Sat frugifera exprimet uvas, 1100  
 Quam te tua fama sub umbris  
 Latitantem inhonora relinquet,

Quae non per carnis orexin  
 Coecoque Cupidinis arcu  
 Confixa, libidinis aestu, 1105  
 Aliena cubilia lecti  
 Quaesisti et honesta pudoris,  
 Furibunda, repagula turpi  
 Fregisti vendita lucro.  
 Sed quae formidine mortis 1110  
 Per vimque minasque tyranni  
 Parere coacta furori  
 Doluisti, aliena mariti  
 Vestigia inesse cubili;  
 Vitaeque perosa, tuo ne 1115  
 Quisquam sub nomine amoris  
 Petulantius urgeat aestum,  
 Maluisti mortis acerbae  
 Tibi suppeditare dolorem  
 Quam perditu iniqua pudoris 1120  
 Malesanae exempla iuventae.  
 Nunc te stupet infima terrae  
 Pars, atri ianua Ditis.  
 Refugas neque Tantalus undas  
 Capit, aut Ixionis ultra 1125  
 Iecur infestare volucres  
 Cupiunt, neque ventilat urnam  
 Radamanthus; in omnibus una  
 Lucretia causa videndi est.  
 Sed te peropaca viarum 1130  
 Iuga concomitantur euntem  
 Vmbrae inviolatae animarum  
 Ad amoena vireta piorum,  
 Series ubi virginea inter  
 Consortia casta pudicis 1135  
 Cum manibus haud morituras  
 Celebrant sine fine Choreas.  
 Nos turba relictu tyrannis  
 Etiam hac in sorte locatae  
 Nostros patiemur amice 1140  
 Manes et, iniqua dolentes  
 Tua fata, perennibus undis  
 Vndabimus ora genasque.  
 Vtinam (si optare licebit)  
 Miseris dent numina pinnae 1145  
 Philomelae, dissita sylvae  
 Peteremus lustra volucris  
 Penna, querulisque remotis

A caetibus inter opacas  
 Haerentibus arboris umbras 1150  
 Querulo lugubre liceret  
 Modulari gutture murmur!  
 Quae spes bona? taedet et Urbis,  
 Hominum et consortia sordent:  
 Regit urbica tristis Erynnis 1155  
 Consortia, nulla pudici  
 Animi defensio restat;  
 Nihil hic, nisi luctus et angor.  
 Eadem nos lucta, sorores,  
 Manet; istum nulla diei 1160  
 Aufert medicina dolorem.  
 Quibus in nos iura tyrannis  
 Quondam fortuna datura est,  
 Parili nos funere tollent,  
 Quo victima facta pudoris, 1165  
 Vxorum gloria, nullo  
 Moritura LVCRETIA seculo.

Sextus, Tarquinius

Sex. Lucretia occidit? bene est. viduus torus  
 Egeridae? o factum bene. occupat dolor  
 Collatiam? invideo. unius Rempublicam 1170  
 Mors foeminae enervare certe non potest.  
 Tar. Plus pene, quam te optare posse, datum reor,  
 Fili, nisi interire leviculum aestimas.  
 Sex. Optare possem plura, si votis meis  
 Successibus foret exitus, quibus volo. 1175  
 Tar. Quid sit gravius optare quam, quae non licet?  
 Sex. Licet, pater, simili perire funere,  
 Quicumque nostris invident honoribus?  
 Tar. Licere dixerim.  
 Sex. ergo et optare id licet,  
 Quod, dum sit, esse licet. simili ego infamia 1180  
 Velim occidere, qui palliata gloriam  
 Virtute venantur; alienus sim magis  
 A laude, quam falso propinquus nomine.  
 Tar. An ficta virtus, morte quae ipsa redimitur?  
 Sex. Sero medetur vulneri, si intercus est. 1185  
 Tar. At delitescens impotens ad nauseam est.  
 Sex. Veluti nephritis interius ad viscerum  
 Latens cavernas, quamlibet gravi ictuum  
 Acerbitate, concitet in abdomine



	Tormina; tamen si extera videas corporis Adiuncta, saepe dixeris plethoricum, Quem vix dolor vivere sinit nephriticus. Sic saepe quando intrinsecus scelera latent, Animusque semper occupatur in malis, Priusquam in apricum furor sese exerat,	1190      1195
Tar.	Ipsos sub homine apparuisse crederes Divos et hanc sibi parasse e caeteris Virtutis aulam, nulla quam corrumperet Immanitas; quam si propius adspexeris, Non regiam, stabulum sed Augiae putes.	1200
	Ita experimur. omnium hoc est maximum Obstare primis: sera factorum comes Est poenitudo; hic unus et verus pudor, Peccare, non peccasse, quem pudet. scelus Si feceris, licet cruoris expies	1205
Sex.	Litamine, haud quaquam esse desinit scelus. Sine lacrymis merito perire convenit Gravisque nequam arena deprimat caput, Quod scelere fructum, fraudibus palmarium Quaerit sibi. o obsistat impius dolor.	1210
	Quid fletis, o Collatii? periit scelus, Doletis? impudica periit foemina, Tristamini? quid si recesserit solo Virtus? dolere, ubi non dolor, quae insania?	
Tar.	At nos dolere scilicet, dementiam Populi iuuet dolere. forte posthuma, Si tanta nostri caecitas secli, dies Collatiensem nosse discet adulteram.	1215

## Chorus

Cho.	Noverit; et te, saeve tyranne, Noverit: ambos, qua vaga mundi Orbita coeli dividit axes, Fama feret celeri pinna. Illamque invidia plorante, Inseret astris innuba virtus;	1220
	Te, scelerum ringente patrono, Vicinum Stygiis trudet lacubus. Verum, o quibus est animi integritas Curae, scelerum intrepidi osores, Lugete interitum virtutis, Lugete animi fata ingenui.	1225
	Cecidit LVCRETIA, et heu! cecidit	1230

Specimen probitatis, amor populi.  
Lugete; malos ridere iuuet,  
Quorum lacrymae virtus, vitium  
Risus. pia luctus materia est,  
Quae suppeditat risum sceleri.

1235

## Actus quintus

Collatinus, Brutus, Tricipitinus

- Col. Ah quo rapere, Lucretia? ah quo concidis  
Ferro? o quis ille sanguis? o quae vulnera?  
O terra! et unda! o coelum et aër! sidera!
- Bru. Compesce luctum; quique vincis caetera, 1240  
Te vince, Collatine. cedat hic dolor  
Genio tuo.
- Col. ah quid? una nos absorbeat  
Vorago; in uno nostra tumulo erit quies.
- Tri. Temere querelis aura nostris insonat;  
Actum agimus. ah fuit, fuit nostrae unica 1245  
Basis senectae; frustra quaero dirutam.  
Et ipse iam cadam. en, retenta faucibus  
Vox haeret, intercepta luctu; eheu mihi!
- Bru. Exesto fletus, desinant faciem amplius  
Inebriare lacrymae. esse vos viros 1250  
Iam cogitate et paululum seponite  
Animi molestias diemque vindicem  
Apparuisse cernite hunc, qui Tarquini  
Fatalis est prosapiae et novissimus.  
Nam quamlibet sat gravia fata patimini 1255  
Ex coniugis gnataeque acerbo funere,  
Moerore pressi, luctu amaro squalidi;  
Non est tamen, ut animum virilem ponere  
Cogamini: videte lucem hanc, omnium  
Republica in nostra malorum terminum. 1260
- Col. O me beatum, viribus si fidere  
Concederet dolor! recrudescat furor  
Animi in sui vindictam acerbo ex funere.
- Bru. Me sequere; nostro fortis exemplo fuas. 1265  
Nam sic dii deaeque et ira Veiovis  
Iam Tarquinorum ex Vrbe memoriam extrahat,  
Vt hunc ego cultrum innocenti e vulnere  
Extraxi; ita in vaga dissipet procul loca,  
Vt innocentem dissipo istum sanguinem.  
Tantum' inultum perpetrarier scelus? 1270  
Impuneque in vitam decusque foeminae  
Collatiarum Principis grassarier?  
Per hunc cruentae sanguinem Lucretiae,  
Nobis perenni castitate nobilem;

- Per, si quid est pudoris et iustitiae amans, 1275  
 Obtestor et iuro, deos testes voco,  
 Me stirpe protrituro ab ima familiam  
 Traquinii et huius pestilentem coniugem  
 Cum liberis, cum, quidquid est, prosapia  
 De ista super. ferrum, ignis, unda, machina, 1280  
 Quotcunque restat virium Quiritium,  
 Ex Vrbe proscibet nefariam domum.  
 Sat iam diu indultum fuit, neque vos latet,  
 Vt sit ruinae origo nostrae foemina,  
 Quae, quo cupido regni avaram gloriae 1285  
 Solio locaret regis, in caesi patris  
 Viscera renitentes agere equos et rogos  
 Non erubuit abnuere discerpto seni.  
 Hinc ille facinorum ordo, caedes et doli  
 Molestiaeque publice iam cognitae 1290  
 Passim; hunc adusque foeminarum foeminae  
 Castissimae dolose adactae sanguinem.  
 Tri. Quam pene victus desiit dolor, et fera  
 Scelerum memoria pectus ira canduit!  
 Quantum ira, luctus, angor animi vel furor 1295  
 Tandem sinent, virtute vincendum scelus.  
 Bru. Mei o Quirites, agite, si quod est scelus,  
 Quod ultionis indigere cernitis.  
 Si sat diu pressam iugo tyrannico  
 Urbem deorum adserere vultis liberam, 1300  
 Confluite nunc ceu publicis incendiis,  
 Confluite, nostris haec abigite a finibus  
 Praedonis arma. rapite vi, discernite,  
 Pessundate et nos inter haud locum amplius  
 Concedite, o nulli tyranno subiuges. 1305  
 Abimus. o modo propitii faveant dii;  
 Privata mala dabunt salutem publicis.

## Chorus

- Cho. Ite, nutantis generosa ROMAE  
 Fulcra, virtutis misere exulantis  
 Vindices, plausu minus ominosi 1310  
 Oscinis ite.  
 O quis, ut fas est, pietatis illa  
 Munia ad iustos revocare honorum  
 Calculos posset, quibus una vix dum  
 Sufficit hora? 1315  
 Annuae Panegyridos Kalendae,

- Quamlibet menses revocatae ad omnes,  
Vix ferent quartam, licet erudito  
Carmine, partem.
- Vnus Aegea deus ex Donysa 1320  
Cynthius versu Cytharaeque plectro  
Aptus est, tantis sua munera ausis  
Iure referre.
- Nos tamen, quantum dederit pudicus 1325  
Ardor et lessus querulus remittet,  
Barbita vos, si licet, expedito ef-  
ferre iuvabit.
- Tu sed, o magnae stator Urbis, inter  
Splendidos divum proceres, Quirine,  
Respice iniustas populi ruinas 1330  
Et profanati rabiem tyranni  
A tuo tandem solio reclina.  
Ne scelus magni monumenta divi  
Spurcet invisae sanie scelesti  
Imperi, exesto furor a sacellis 1335  
Romuli. invisae est generosa virtus  
Fraudibus; nescit regere in deorum  
Urbe profanus.
- Quis huc anhelat, dum loquor, se spiritu  
Offert? sorores, euge, quid feret novi? 1340

## Nuncius, Chorus

- Nun. Quicumque domini miles exultat sui  
In regia, defendat aulam, quae gravi  
Quassata ariete iam ruinae subiacet.
- Cho. O quae ruina? gestit animus noscere.
- Nun. Exerite vires, vim furore vincite, 1345  
Quoscumque regis extulit favor: ruunt  
In regna, in aulam, in scepra; quidquid obvium  
Fit, distrahunt, sternunt et adfligunt humo  
Lucretii. irae suppetit vires dolor.
- Cho. Quis ordo turbarum? quis auctor? edoce. 1350
- Nun. Brutus cadaver intuens emortuum,  
Exaestuans ira et furore, frenduit,  
Non tam parietes inter hunc luctum ratus  
Debere ferri, quam hoc acerbo funere  
Populi dolorem concitari publicum. 1355  
Effertur, itur inque medium sistitur  
Theatrum fori; concurritur. quisque facinus  
Tantum exsecratur; devovetur impii

	Furor tyranni, urgetur ira fletibus Lucretiorum. animi ministrat impetum	1360
	Ea fortitudo Bruti, adaugent lacrymae Maesti parentis; quisque, quae furor dedit, Ad arma promptus, quo calentis impetu Animi iuventus incitatur, irruit.	
	Romam venit, ducente Bruto, nescio	1365
	Vulgo tumultus; expavescunt civium Animi, suborto turbidi exhorrent metu. Arma intuentur, intuentur principes Collatiarum; fervidam ad pugnam magis Timent iuventam, quam iuventae copiam.	1370
	Conventum erat, forum occupatur: hi nihil Rentur futurum temere, quidquid isti agent. Venit senatus, praeco populum convocat: Confluitur, ingens concio visa est foro.	
Cho.	Quid postea?	
Nun.	inde, facta post silentia,	1375
	Digna viro gravitate Brutus extulit Vocem (viri mirata concio indolem est): 'Grave est, Quirites', inquit, 'ac momentum habet, Quod querimur: ira si vetat, iubet dolor.	
	Infanda vis, infanda stupri atrocitas	1380
	Lucretiae, Sexti furores, orbitas Parentis, impiata iura coniugi, Regis tyrannis, impudica regiae Libido materiam dedere et lacrymis Et irae iniquum vindicaturae scelus!	1385
	Vltrice cum cohorte venimus. locum Date ultioni; adeste, adeste patriae Vindicibus. an pigebit excutere iugum, Quo mancipati subiugamur impio Regi? ducem me, haud paenitebit, sequimini.'	1390
	Graviora proferebat et, quae vel Scythae Vel tigridos saevae movere potuerant Pectus. stupore tota percita concio; Partim dolor, partim furor dedit animos - Regem exulare, aulam vacare principe	1395
	Voluere. ceu magnis subortis fluctibus, Cum, si vel ipse Typhis ad clavum foret, Vis magna Boreae reprimi haud quaquam potest, Redimenda vita est mercium dispendio; Sic dum invalescit ardor incensi agminis,	1400
	Propere ad theatra proruentis regiae, Ne vita furiis praeda fiat militum, Aula relicta squalida extra moenia	

Fertur profuga regni venenum Tullia.  
 Quam quo dolor metusque duxit turbidam, 1405  
 Clamor, minae, exsecrationes maximo  
 Fremitu insequuntur; illa, quae prior data est  
 Via fugiendi, illam capessit. interim,  
 Legione scripta, lecto ad arma exercitu,  
 Ad castra Brutus tendit Ardeensia, 1410  
 Reliquum tyranni quaerit: ipsum libera  
 Iubet exulare ab Vrbe, quem suffragia  
 Populi abrogari instant. ab hinc iuvenis furor  
 Hoc intus ardens igne nondum elanguit.  
 Sublata sceptrum: regius desiit timor, 1415  
 Novis Quiritum iura surgent fascibus.

### Chorus

Cho. Tandem, tandem veniam oppressi  
 Populi votis fata dedere.  
 O aurea lux, radiis orta  
 Faustis, secli fons pacifici, 1420  
 Salve, meliore notanda nota:  
 Iam prima recessit Olympiadis  
 Sextae series, qua Roma fero  
 Subiecta tyranno mancipium  
 Miserum proprias ruere in clades 1425  
 Visa est, crepera sortisque vice  
 Nunquam optata potuit pace  
 Illibatos numerare dies.  
 Si Martius extra Urbem strepitus  
 Siluit nullusque ex hoste timor 1430  
 Animum exterius tetigit (licet et  
 Hic timor animos frustra Quiritum  
 Exterruit), intus visceribus  
 Urbis furor intestinus adest;  
 Et quae nequit hostis, rex acuit 1435  
 Arma in proprii interitum populi.  
 Conticuit furor. o factum bene!  
 Periere hostes; saeva tyranni  
 Tela, suo frustrata labore,  
 Bello optatum tribuunt finem. 1440  
 Iamque emeritum caput illa Deum  
 Suboles, ROMA, aeterna lauru  
 Exertat nullamque ruinae  
 Ulteriore aliquam fissuram  
 Ostendit superum cura deum. 1445

O vos Clusii valvae Iani,  
 Semper vestrum interius numen  
 Tegite obtecta facie; nunquam  
 Videat posthac geminas ROMA  
 Portas tali patulas bello. 1450  
 Fallor? superum annuit anne favor?  
 Equidem dextra intonuit, laeva  
 Dextrum augurio occinnitur laeto:  
 Nemo diademate Romano  
 Sceptroque superbiet ulterius. 1455  
 Sacra iura atque aurea libertas  
 Tandem aureolis lustrare forum  
 Medium pinnis, pax incipiat  
 Iactare oleas optata suas.  
 Salvete animae, salvete piae. 1460  
 O vindiciis clari patriis,  
 Lucretiades, quae digna queat  
 Gratia vestris tribui officiis?  
 Quod non hominum cura aut studium  
 Hostimento poterit merito 1465  
 Praestare, Deum referet pietas.  
 Vos in mediis divum soliis  
 Clarere videbit posteritas  
 Sera nepotum; non invidet  
 Romulus aequalibus a latere 1470  
 Vobis parili claris titulo:  
 Armis Romae dedit ille suae  
 Imperium, armis vos imperii  
 Ex mancipio Romam eruitis.  
 O vos magnae geminos Vrbis 1475  
 Auctores, numeris innumeris  
 Et non moritura laude animi  
 Dicendos! prius astra polorum  
 Dediscere circuitus poterunt,  
 Mediumque suis solem faculis 1480  
 Noctis minima eximet ex oculis  
 Filia, quam suspecta Quiritum  
 Animo obrepat Lucretiadum  
 Oblivio. et ipsum tanta forum  
 Merita elogio celebrare suo 1485  
 Audebit, ubi ingratis hominum  
 Animis vestro emerita officio  
 Fama silesct.

Finis



## Hinweise zur Textgestaltung

Zugrunde liegt der Erstdruck von 1597 mit der zusätzlichen Angabe *Ex Primo libro Decadis Primae Livianae* auf dem Titelblatt. Die Ausgabe von Thoen war mir nicht zugänglich (unpubl. Diss. Leuven 2003).

Die orthographischen Eigenheiten des Originals wurden nach Möglichkeit beachtet. Orthographie und Interpunktion wurden jedoch überarbeitet und vereinheitlicht. So wurde stets gedruckt *i* für *j*, *v* für konsonantisches *u*, *u/V* für vokalisches *u/U*, *ss* für *β*, *causa* für *caussa*, *foemina* für *faemina* 984, 1045, 1077, *moenia* für *maenia* 1403; in Äußerungen Lucretias belassen wurde *paena* 926, 961, 963 statt *poena* 310, 526, 924.

Groß geschrieben wurde: 312 *Vrbem*, 388 *Cupidinis*, 452 *Vestalium*, 502 *Vrbi*, 825, 1226 *Stygiis*, 1069 *Vrbis*, 1086 *Castitas*, 1266 *Vrbe* sowie 40, 136, 147, 359, 408, 1079 *LVCRETIA*; klein dagegen: 40 *theatrum*, 72 *libidinis*, 100 *virgines*, 111 *coeli*, 137 *virginalis*, 155 *ociosae*, 172 *vultus*, 193 *divum*, 250 *mulier*, 287 *vir*, 351 *spiritu*, 436 *castitas*, 485 *libido*, 514 *deorum*, 564 *coeli*, 623 *lucifer*, 866 *pater*, 893 *caeteri*, 911 *spiritus*, 939 *patris*, 972 *vale*, 1081 *verbere*, 1111 *tyranni*, 1123 *atri*, 1208 *caput*, 1333 *divi*, 1373 *praeco*, 1392 *tigridos*, 1446 *vos*, 1446 *valvae*.

- 59 *exigentes* statt *ex gentes*
- 206 *Pandioniis* statt *Pand onijs*
- 275 *medullitus* statt *medulluus*
- 289 *coagmentabit* statt *coagmenabit*
- 356 *dii* statt *dij*
- 499 *dii* statt *dij*s
- 893 *veniam* statt *venam*
- 931 *sonnem* statt *sonem*
- 1028 *perpraeceps* statt *per praeceps*
- 1206 *haud quaquam* statt *haudquaquam* wie 551, 1398
- 1226 *vicinum* statt *vicium*
- 1253 *qui* statt *quae*

'Komma' gestrichen vor *et*, *atque*, *-que*, *neque*, *nec*, *aut*, *vel*, *-ve*, *an*, *quam* u.ä.: 4, 13, 19, 30, 61, 66, 67, 72, 77, 79, 81, 84, 90, 93, 98, 108, 118, 124, 149, 160, 163, 167, 175, 203, 238, 272, 276, 288, 290, 291, 296, 300, 308, 321, 353, 380, 385, 393, 394, 398, 470, 475, 487, 488, 492, 494, 496, 500, 502, 506, 515, 526, 527, 528, 558, 560, 563, 609, 617, 649, 651, 703, 708, 719, 736, 745, 747, 749, 756, 772, 789, 821, 842, 871, 877, 881, 884, 891, 896, 904, 910, 912, 937, 954, 960, 963, 971, 973, 987, 992, 1034, 1041, 1046, 1049, 1049, 1056, 1082, 1087, 1098, 1103, 1107, 1119, 1141, 1176, 1197, 1207, 1251, 1252, 1265, 1265, 1278, 1287, 1289, 1295, 1304, 1325, 1330, 1348, 1356, 1384, 1391, 1430, 1443 sowie Periocha 5, 5

'Komma' gestrichen nach: 10 *incolas*, 11 *Eoo*, 17 *animi*, 17 *furore*, 33 *sede*, 49 *mota*, 51 *calumnia*, 56 *mori*, 73 *torum*, 76 *Lucretiae*, 80 *favore*, 90 *concidens*, 112 *faces*, 121 *Tibridos*, 151 *procace*, 157 *adacta*, 197 *imbrem*, 198 *arcis*, 210 *nostra*, 264 *timens*, 267 *redimam*, 267 *hoste*, 279 *nil*, 301 *incendio*, 305 *vorax*, 310 *scelestas*, 321 *stupro*, 326 *obesse*, 339 *levi*, 346 *erit*, 348 *Cynthius*, 382 *imagine*, 386 *armata*, 388 *iunxere*, 395 *septae*, 409 *tuis*, 421 *caput*, 430 *pila*, 438 *ancillulis*, 453 *publice*, 454 *Lucretia*, 465 *stuprum*, 482 *numinum*, 485 *animos*, 517 *restet*, 535 *fascibus*, 539 *servulos*, 545 *metu*, 545 *suo*, 547 *Anco*, 568 *ego*, 576 *Ardeensium*, 608 *corpore*, 613 *gangraena*, 622 *dedere*, 628 *vis*, 642 *rex*, 651 *ferrum*, 689 *improbat*, 720 *praesentia*, 740 *Lucretiae*, 796 *crimine*, 805 *ulnis*, 820 *stupro*, 822 *Lucretiae*, 838 *dexteras*, 867 *saluti*, 870 *promitte*, 921 *quicquid*, 921 *adsensu*, 961 *nece*, 962 *sceleste*, 962 *infamia*, 999 *avulsum*, 1001 *impos*, 1002 *Amphitiridae*, 1004 *luctus*, 1008 *lancinet*, 1017 *impositura*, 1076 *criminibus*, 1108 *repagula*, 1109 *fregisti*, 1111 *minasque*, 1112 *furori*, 1116 *nomine*, 1135 *casta*, 1139 *locatae*, 1149 *caetibus*, 1215 *nos*, 1262 *furor*, 1263 *animi*, 1263 *vindictam*, 1275 *est*, 1278 *coniugem*, 1294 *memoria*, 1321 *Cynthius*, 1321 *versu*, 1321 *plectro*, 1353 *ratus*, 1377 *vocem*, 1385 *irae*, 1387 *adeste*, 1391 *Scythae*, 1404 *profuga*, 1419 *orta*, 1424 *tyranno*, 1476 *innumeris* sowie Periocha 2 *violata*, 7, *incensi*

'Komma' ergänzt: 19, 44, 102, 279, 292, 293, 322, 343 *age*, 354, 355, 421 *Romam*, 422 *malis*, 499, 503 *genite*, 522, 522, 522, 543, 548 *quid*, 551, 575, 608, 622, 629, 665 *fac*, 668 *minis*, 737, 752, 754, 759, 764, 764, 767 *euge*, 790 *enecas*, 793 *quae*, 798 *quod*, 802 *adulteri*, 811 *uos*, 813, 814, 821, 825, 828, 838 *vos*, 845, 866 *novissimum*, 894 *vita*, 895, 977 *filia*, 978, 993 *luctus*, 1033, 1034, 1054 *crimen*, 1061 *fereris*, 1078 *germine*, 1141, 1156, 1159, 1159, 1216, 1247, 1273, 1279 *cum*, 1284, 1340 *euge*, 1391, 1410, 1433, 1442 *suboles*

'Komma' statt 'Punkt': 225, 452, 599 *perdidi*, 840, 1217

'Komma' statt 'Doppelpunkt': 67, 154, 158, 162, 210, 304, 305, 335, 364, 464, 531, 532, 633, 696, 697, 956, 985, 993, 1097, 1100, 1335, 1359, 1371, 1473

'Komma' statt 'Strichpunkt': 3, 140, 1164, 1191, 1234, 1297 *Quirites*, 1393, 1395

'Komma' statt 'Fragezeichen': 551 *aves*

'Punkt' gestrichen: 357 *proprio*, 601 *crederem*, 602 *Lucretia*, 616 *odium*, 684 *publicae*, 1127 *urnam*

'Punkt' ergänzt: 122, 178, 251, 275, 467, 571, 580, 582, 589, 591, 664, 729, 766, 767, 788, 823, 828, 859, 859, 879, 886, 891, 918, 926, 960, 977, 978, 978, 1023, 1076, 1121, 1171, 1242, 1292, 1349, 1372

'Punkt' statt 'Doppelpunkt': 23, 74, 119, 222, 235, 253, 255, 258, 284, 285 *pudor*, 418, 430, 461, 477, 508, 567, 574, 580, 593, 598, 623, 631, 665, 717, 725, 762, 764, 766, 818, 833, 844, 853, 865, 881, 885, 905, 952, 967, 980, 982, 1019, 1038, 1168, 1169, 1170, 1204, 1210, 1245, 1247, 1250, 1280, 1303, 1306, 1336, 1357, 1360, 1388, 1413, 1436, 1437, 1455, 1484

'Punkt' statt 'Strichpunkt': 450, 1232, 1241, 1298

'Punkt' statt 'Komma': 109, 187, 254, 287, 463, 464, 586, 607, 652, 712, 770, 771, 774, 871, 879, 904, 1040, 1288, 1349, 1386

'Strichpunkt' gestrichen: 427 *fasces*, 465 *amasiis*

'Strichpunkt' ergänzt: 18, 1347

'Strichpunkt' statt 'Punkt': 368

'Strichpunkt' statt 'Doppelpunkt': 5, 89, 220, 228, 234, 353, 356, 400, 442, 449, 460, 464, 476, 480, 557, 568, 612, 624, 637, 660, 753, 783, 827, 847, 850, 898, 930, 988, 1047, 1057, 1069, 1114, 1157, 1160, 1182, 1190, 1224, 1240, 1243, 1257, 1268, 1337, 1357, 1358, 1367, 1399, 1407, 1434, 1438

'Strichpunkt' statt 'Komma': 49, 103, 180, 454, 578, 599, 603, 622, 628, 639, 656, 720, 883, 959, 976, 1013, 1039, 1044, 1128, 1199, 1291, 1362, 1387, 1448, 1469

'Doppelpunkt' gestrichen: 284 *velim*, 396 *Quirites*, 1026 *opera*

'Doppelpunkt' ergänzt: 1377

'Doppelpunkt' statt 'Punkt': 1471

'Doppelpunkt' statt 'Komma': 553, 839, 869, 903, 1453

'Fragezeichen' ergänzt: 1051 *alii*

'Fragezeichen' statt 'Punkt': 254, 1315

'Fragezeichen' statt 'Doppelpunkt': 237, 239, 241, 552, 582, 583, 584, 586, 588

'Fragezeichen' statt 'Komma': 97, 123, 424, 826, 588

'Ausrufezeichen' gestrichen: 1384

'Ausrufezeichen' ergänzt: 941, 1385

'Ausrufezeichen' statt 'Komma': 455

'Anführungszeichen' ergänzt: 1058ff., 1378ff.